



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Symma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Quintus. Quod meditatio ab Aspirante subinde utiliter resumenda  
sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

vistis à Deo non omnino separaret, aut distractum faceret: quamvis interea de primeret a terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, maximè si tentationum passiones insolecerent. & tum meritò Domino Deo humiliter exponi potest illud Augustini. b intromittis me in affectum multum inusitatum, introrsus ad-nescio quam dulcedinem; sed recido in hæc ærumnosis ponderibus.] ne autem distractiones (aspirationis affluentia subinde subducta) ex defectu sese conformiter habendi, præualeant, consequenter monemus,

*Quod meditatio ab Aspirante subinde utiliter resumenda sit.*

#### ARTICVLVS QVINTVS.

**C**Vm aliquando contingat aspirantem nullis orationibus iaculatorijs, deuotis suspirijs, ac instantaneis affectibus amoris, aut deuotionem percipere, aut seipsum recolligere, aut nihil quasi ad intra cum pace, aut spirituali gusto præstare posse; quin imò multis vanis imaginibus, oblectionumque titillationibus exagitari: absque vlla hæsitatione Passionis Domini nostri Iesu Christi aliquod mysterium, vel nouissimorum c meditationem exemplò realsumat; pro certo habens longè melius esse imaginationem, & rationem salubriter similium repræsentatione, quam vanorum phantasmatum deceptione, & concupiscentia adimpleri. quamdiu enim sensus, imaginatio, & appetitus vanus non sufficienter in alijs

a Sap. 9. b S. Aug. l. 10, conf. c. 40. c Ioan. à Cruce de obſ. noct. d Psal. 38.

mysticis functionibus occupantur; & quodammodo pro libitu usque deque, & ad quævis obvia declinant, certè tempus pacis, & internæ quietis nondum est. Vnde sicut in speculo, aut aqua commota, nulla potest imago recipi, nec quieto aspectu cōtemplari, ita prorsus frustra turbatus animus, & varijs illecebris irretitus recollectionis, & fruitionis oblectionamenta præstolabitur. Unde in praxi frequenter hallucinantur illi, qui sibi persuadent, meditationem pro actus exercitio resumere (licet alioquin nihil utile præstare possint) esse contra spiritualem profectum, aut ipsum statum minus decens. Cæterum ubi pijs imaginationibus, per meditationem noxiæ, aut vanæ imagines abiiciuntur, ibi paulatim interioritate iterum benè composita, ignis alicuius aspirationis deuotæ, excuti poterit. In quem finem sibi ipsi instituat colloquia plangentia sui ipsius vilitatem, nihilitatem, infidelitatem circa mortificationem, & virtutes, firmoque animo iteratis, vicibus, sua proposita renonet, examinetq;. Iam vero, quæ hucusque de statu aspirationis dicta sunt, breuiter ad quotidiam praxin consequenter apponimus,

*Synopsis status Aspirationis.*

#### ARTICVLVS SEXTVS.

**C**oncaluit d cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. ac si diceret: ô pia anima, cuius conculuit cor ex pijs meditationibus, quæ etiam à frigore mundanarum cupiditatium